

facit. Primo proponit quod intendit; secundo ex hoc infert quoddam corollarium, ibi: *Ergo, fratres, etc.*; tertio probat propositum, ibi: *Quicumque enim, etc.* Circa primum considerandum est, quod supra mentionem fecerat de spiritu Dei, et de spiritu Christi, quamvis sit unus et idem spiritus. Primo ergo ostendit quid consequamur ex spiritu, ex hoc quod est Christi; secundo ostendit quid consequamur ex eo, in quantum est spiritus Dei patris, ibi: *Quod si spiritus ejus, etc.* Dicit ergo: Dicitur est, quod si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus, unde cum vos sitis Christi, spiritum Christi habetis: et ipsum Christum in vobis habitantem per fidem, secundum illud Ephes. iii: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Si autem Christus sic in vobis est, oportet vos Christo esse conformes. Christus autem sic venit in mundum, ut quantum ad spiritum esset plenus gratia et veritate, et tamen quantum ad corpus habet similitudinem carnis peccati, ut supra dictum est. Unde et hoc oportet esse in vobis, quod corpus quidem vestrum propter peccatum, quod adhuc manet in carne vestra, mortuum est, id est, necessitati mortis addictum, sicut Gen. ii dicitur: *Quicumque die comedieritis, morte moriemini*, id est, necessitati mortis addicti eritis. *Spiritus vero vivit*; qui jam revocatus est a peccato, secundum illud Ephes. iv: *Renovamini spiritu mentis vestrae: vivit vita gratiae, propter justificationem, per quam justificatur a Deo. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei.* Justus ex fide vivit.

Deinde, cum dicit: *Quod si spiritus, etc.*, ostendit quid consequamur in Spiritu Sancto, in quantum est spiritus patris, dicens: *Quod si habitat in vobis spiritus ejus, sc. Dei patris, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis.* — Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me. Hunc Deus suscitavit, etc. Et tamen ipse Christus propria virtute resurrexit, quia eadem est virtus patris et filii, consequens est, quod id quod Deus pater fecit in Christo, faciat etiam in nobis. Et hoc est quod subdit: *Qui suscitavit Jesum Christum a*

(1) Galat. ii. (2) Supra i.
(3) Psal. xl. (4) Act. iii.
(5) Isa. xlvii. (6) Osee vi.

mortuis, vivificabil et mortalia corpora vestra. Non dicit mortuus, sed mortalia, quia in resurrectione non solum a corporibus vestris auferatur quod sint mortua, id est, necessitatem mortis habentia, sed etiam quod sint mortalia, id est, potentia mori, quale fuit corpus Adam ante peccatum. Nam post resurrectionem corpora nostra erunt ponit immortalia. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, etc.* Vivificabil nos post duos dies. Et hoc propter inhabitantem spiritum ejus in nobis, id est, in virtute Spiritus Sancti in nobis habitantis. *Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vobis spiritum, et vivatis.* Et hoc propter inhabitantem spiritum, id est, propter dignitatem quam corpora nostra habent, eo quod fuerunt receptacula Spiritus Sancti. *Nescitis quod membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Illi vero, quorum membra non fuerunt templum spiritus, resurgent, sed habebunt corpora passibilia.

Deinde, cum dicit: *Ergo debetores, etc.*, concludit corollarium ex dictis. Et primo ponit conclusionem; secundo rationem assignat, ibi: *Si enim, etc.* Dicit ergo primo: Dicitur est, quod per Spiritum Sanctum multa bona nobis proveniunt, et quod ex prudentia carnis sequitur mors: ergo debetores sumus Spiritui Sancto propter beneficia ab eo recepta, ut vivamus secundum spiritum, et non secundum carnem. *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulamus.*

Deinde, cum dicit: *Si enim secundum carnem, assignat rationem conclusionis præmissæ.* Et primo quantum ad carnem, dicens: *Si enim secundum carnem vixeritis, sc. sequendo concupiscentias carnis, moriemini, sc. morte culpæ in præsentibus, et morte damnationis in futuro. Quæ in deliciis vivens mortua est.* Secundo assignat rationem quantum ad spiritum, dicens: *Si autem spiritu, id est, per spiritum, sc. mortificaveritis facta carnis, id est opera quæ ex concupiscentia carnis proveniunt, eivellis, vita gratiæ in præsentibus, et vita gloriæ in futuro. Mortificatis membra vestra quæ sunt super terram. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis.*

(7) Ezech. xxxvii. (8) I. Cor. vi.
(9) Galat. v. (10) I. Tim. v.
(11) Coloss. iii. (12) Galat. v.

LECTIO III.

Probat quomodo per Spiritum Sanctum datur nobis gloria vita, qui spiritum filiorum, non servorum, accepimus, ostenditurque quomodo simus Dei hæredes, cum Deus numquam moriatur, ac qua de causa hujusmodi gloria vita differatur.

14. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.

15. Non enim accepistis spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater.

16. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.

17. Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

Postquam Apostolus proposuit, quod per Spiritum Sanctum dabitur nobis vita gloriosa, quæ omnem mortalitatem a corporibus nostris excludet, hic probationem inducit. Et primo ostendit, quod per Spiritum Sanctum hujusmodi gloriosa vita datur; secundo ostendit causam quare differatur, ibi: *Si tamen compatimur, etc.*

Circa primum ponit talem rationem: Quicumque sunt filii Dei consequuntur æternitatem gloriosæ vitæ: sed quicumque reguntur Spiritu Sancto, sunt filii Dei; ergo quicumque reguntur Spiritu Sancto, consequuntur hæreditatem gloriosæ vitæ. Primo ergo ponit minorem prædictæ rationis; secundo, majorem, ibi: *Si autem, etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi: *Non enim accepistis, etc.*

Circa primum duo consideranda sunt. Primo quidem quomodo aliqui aguntur a spiritu Dei, et potest sic intelligi, *Quicumque spiritu Dei aguntur, id est, reguntur sicut a quodam ductore et directore, quod quidem in nobis facit spiritus, sc. in quantum illuminat nos interius quid facere debeamus. Spiritus tuus bonus deducet me, etc.* Sed quia ille qui ducitur, ex seipso non operatur, homo autem spiritualis non tantum instruitur a Spiritu Sancto quid agere debeat, sed etiam cor ejus a Spiritu Sancto movetur: ideo plus intelligendum est in hoc, quod dicitur: *Quicum-*

(1) Psal. cxlii. (2) I. Joann. iii.

que spiritu Dei aguntur. Illa enim agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu moventur. Unde de brutis dicimus, quod non agunt, sed aguntur: quia a natura moventur et non ex proprio motu ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundum illud Is. lvi: *Cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Dei cogit*; et Luc. iv, quod Christus agebatur a spiritu in deserto. Non tamen per hoc excluditur quin viri spirituales, per voluntatem et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis et liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis causat, secundum illud Phil. ii: *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere.*

Secundo considerandum est, quomodo illi qui spiritu Dei aguntur, sunt filii Dei. Et hoc est manifestum ex similitudine filiorum carnalium, qui per semen carnale a patre procedentes generantur. Semen autem spirituale a patre procedens, est Spiritus Sanctus. Et ideo per hoc semen aliqui homines in filios Dei generantur. *Omni qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen Dei manet in eo.*

Deinde cum dicit: *Non enim accepistis, etc.*, probat propositum, sc. quod Spiritum Sanctum accipientes sint homines filii Dei, et hoc tripliciter. Primo quidem ex distinctione donorum Spiritus Sancti; secundo, ex confessione nostra, ibi: *In quo clamamus, etc.*; tertio, ex testimonio spiritus, ibi: *Ipse enim spiritus.* Circa primum considerandum est, quod Spiritus Sanctus duos effectus facit in nobis: unum quidem timoris; *Replebit eum spiritus timoris Domini*; aliam amoris; *Charitas Dei diffusa est per Spiritum Sanctum in cordibus nostris, qui datus est nobis*. Timor autem facit servos, non autem amor. Ad cujus evidentiam considerari oportet, quod timor habet duo objecta, sc. malum quod quis timendo refugit, et illud a quo sibi hoc malum imminere videt.

Dicitur enim homo timere et occisionem et regem qui potest occidere. Contingit autem quandoque quod ma-

(3) Isa. xi. (4) Supra v.

lum quod quis refugit, est contrarium bono corporali vel temporali quod quis interdum inordinate amat, et refugit pati ab aliquo homine temporali. Et hic est timor humanus vel mundanus; et hic non est a Spiritu Sancto. Et hunc prohibet Dominus: *Nolite timere eos qui corpus occidunt.*

Alius autem est timor qui refugit malum quod contrariatur naturæ creatæ, sc. malum pœnæ, sed tamen refugit hoc pati a causa spiritali, sc. a Deo, et hic timor est laudabilis quantum ad hoc saltem, quod Deum timet. *Quis det eos talem habere mentem ut timeant me?* Et secundum hoc a Spiritu Sancto est. Sed in quantum talis timor non refugit malum quod opponitur bono spiritali, sc. peccatum, sed solum pœnam, non est laudabilis. Et istum defectum non habet a Spiritu Sancto, sed ex culpa hominis; sicut et fides informis quantum ad id quod est fidei, est a Spiritu Sancto, non autem ejus informitas. Unde et si per hujusmodi timorem aliquis bonum faciat, non tamen bene facit, quia non facit sponte, sed coactus metu pœnæ, quod proprie est servorum. Et ideo timor iste proprie dicitur servilis, quia serviliter facit hominem operari.

Est autem tertius timor qui refugit malum quod opponitur bono spiritali, sc. peccata vel separationem a Deo, et hoc quidem timet incurrere ex justa Dei vindicta. Et sic quantum ad utrumque objectum respicit rem spirituales, sed tamen cum hoc habet oculum ad pœnam. Et iste timor dicitur esse initialis, quia solet esse in hominibus in initio suæ conversionis. Timor enim pœnam propter peccata præterita, et timor separari a Deo pro peccato propter gratiam charitati infusam. Et de hoc dicitur in Ps. cx: *Initium sapientiæ timor Domini.*

Est autem quartus timor, qui ex utraque parte oculum habet solum ad rem spirituales, quia nihil timet nisi a Deo separari. Et iste timor est sanctus qui permanet in sæculum sæculi, ut in Ps. xviii dicitur. Sicut autem timor initialis causatur ex charitate imperfecta: ita hic timor causatur ex chari-

tate perfecta. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et ideo timor initialis et timor castus non distinguuntur contra amorem charitatis, qui est causa utriusque, sed solum timor pœnæ: quia sicut hic timor facit servitutem, ita amor charitatis facit libertatem filiorum. Facit enim hominem voluntaria ad honorem Dei operari, quod est proprie filiorum. Lex igitur vetus data est in timore, quod significabant tonitrua et alia hujusmodi, quæ facta sunt in datione veteris legis, ut dicitur Ex. xix. Et ideo dicitur Hebr. xii: *Et ita terribilis erat quod videbatur.* Et ideo lex vetus per inflictionem pœnarum inducens ad mandata Dei servanda, data est in spiritu servitutis. Unde dicitur Gal. iv: *Unum quidem in monte Sina in servitutem generans.* Et ideo hic dicit, Recte dictum est quod *Qui spiritu Dei aguntur, etc.* Non enim iterum in nova lege, sicut in veteri lege fuit, *Acceptis spiritum servitutis in timore, sc. pœnarum, quem timorem Spiritus Sanctus faciebat; sed accepistis spiritum, sc. charitatis, qui est adoptionis filiorum, id est, per quem adoptamur in filios Dei. Ut adoptionem filiorum recipiamus.* Non autem hoc dicitur quasi sit alius et alius spiritus, sed quia idem est spiritus, sc. qui in quibusdam facit timorem servilem quasi imperfectum, in aliis facit amorem quasi quoddam perfectum.

Deinde cum dicit: *In quo clamamus, etc.,* manifestat idem per nostram confessionem. Proferunt enim nos patrem habere Deum instructi a Domino, cum dicimus orantes, *Pater noster qui es in celis, ut habetur Matth. vi.* Hoc autem convenit dicere non solum Judæis, sed etiam Gentibus. Et ideo duo ponit idem significantia, sc. *Abba, quod est hebræum, et Pater, quod est latinum vel græcum, ut ostendat hoc ad utrumque populum pertinere.* Unde et Dominus: *Abba pater, omnia possibilia sunt tibi. Patrem vocabis me.* Hoc autem dicimus non tantum sono vocis, quantum intentione cordis, quæ quidem propter sui magnitudinem clamor dicitur, sicut et ad Moysen tacentem dicitur: *Quid clamas ad me, sc. intentione cordis? Sed ista magnitudo intentionis ex*

(1) Matth. x. (2) Deut. v. (3) I. Joan. iv. (4) Galat. iv.

(5) Marc. xiv. (6) Jerem. xlii. (7) Exod. xii.

affected filialis amoris procedit, quem in nobis, sc. facit. Et ideo dicit: *In quo, sc. Spiritu Sancto, clamamus: Abba pater.* Unde Is. vi dicitur quod seraphim qui interpretantur ardentes, quasi igne Spiritus Sancti, clamabant alter ad alterum.

Deinde cum dicit, *Ipsæ enim spiritus, etc.,* ostendit idem ex testimonio Spiritus Sancti, ne forte aliquis dicat, quod in nostra confessione decipimur; unde dicit: *Ideo dico, quod in Spiritu Sancto clamamus: Abba Pater. Ipsæ enim Spiritus testimonium reddit quod sumus filii Dei;* hic autem testimonium reddit non quidem exteriore voce ad aures hominum; sicut Pater protestatus est de Filio suo, sed reddit testimonium per effectum amoris filialis, quem in nobis facit. Et ideo dicit quod *testimonium reddit, non acribus, sed spiritui nostro, etc.* — *Nos testes sumus horum verborum.*

Deinde cum dicit, *Si autem filii, etc.,* ponit majorem, et primo ostendit quod filiis debetur hereditas, dicens: *Si autem aliqui filii, per spiritum sc., sequitur etiam quod sint hæredes, quia non solum filio naturali, sed etiam adoptivo debetur hereditas. Regeneravit nos in spem vivam in hereditatem, etc.* Hereditas mea præclara est mihi. Secundo ostendit quæ sit ista hereditas. Et primo describit eam quantum ad Deum patrem, dicens: *Hæredes quidem Dei.* Dicitur autem aliquis hæres alicujus existere, qui principalia ejus bona percipit seu adipiscitur, non autem qui aliqua munuscula recipit, sicut legitur Gen. xxv quod Abraham dedit cuncta quæ possedit Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera. Bonum autem principale quo Deus dives est, est ipsemet. Est enim dives per se ipsum, et non per aliquid aliud, quia extrinsecorum bonorum non indiget, ut dicitur in Ps. xv. Unde ipsum Deum adipiscuntur filii Dei pro hereditate. Unde Ps. 3: *Dominus pars hereditatis meæ. — Pars mea Dominus, dicit anima mea.*

Sed cum filius hereditatem non adipiscatur nisi patre defuncto, videtur

quod homo non possit esse hæres Dei, qui nunquam decedit. Dicendum est autem, quod illud habet locum in bonis temporalibus, quæ simul a multis considerari non possunt, et ideo necesse est unum decedere ut alius succedat: sed bona spiritalia simul a multis haberi possunt, et ideo non oportet patrem decedere ut filii sint hæredes. Potest tamen dici, quod Deus decedit nobis, in quantum est in nobis per fidem: erit autem nostra hereditas, in quantum videbimus eum per speciem. Secundo describit hanc hereditatem ex parte Christi, dicens, *Cohæredes autem Christi, quia ipse cum sit principalis filius a quo nos filiationem participamus, ita est principalis hæres, cui in hereditate conjungimur. Hic est hæres, etc.* Ad hæc hæredem adducam tibi.

Deinde cum dicit, *Si tamen compatimur, etc.,* ostendit causam dilationis hujus vitæ gloriôsæ. Et primo ponit causam ex parte passionum; secundo, præomnientiam gloriæ ad passiones, ibi: *Existimo enim, etc.* Circa primum considerandum est quod Christus, qui est principalis hæres, ad hereditatem gloriæ pervenit per passiones. *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Non autem nos faciliore modo debemus hereditatem adipisci. Et ideo nos etiam oportet per passiones ad illam hereditatem pervenire. *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Non enim statim immortale et impassibile corpus accipimus, ut simul cum Christo pati possimus. Unde dicit, *Si tamen compatimur, id est, simul cum Christo patienter sustinemus tribulationes hujus mundi, ut et cum Christo glorificemur. — Si commortui sumus, et coregnabimus.*

LECTIO IV.

Ostenditur gloriæ futurae excellentia super hujus sæculi passiones, quam omnis creatura ingemiscens expectat.

18. Existimo enim quod non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

(1) Matth. xii. (2) Act. iii. (3) I. Pet. i. (4) Psal. xv. (5) Psal. xv. (6) Thren. iii.

(7) Matth. xxii. (8) Mich. i. (9) Luc. iii. (10) Act. xiv. (11) II. Tim. ii.

Peccatum autem hic intelligitur, sicut supra diximus, vel diabolus, vel potius fomes peccati.

LECTIO III.

Manifestat legem bonam esse ex repugnantia hominis ad bonum, quam lex tollere minime potest, pariterque ostenditur quomodo lex vetus dicatur esse spiritualis, homo vero carnalis, quariturque simul an initium boni operis sit ex nobis.

14. Solimus enim quod lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.

15. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.

16. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est.

17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

18. Scio enim quis non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi, perdere autem bonum non invenio.

19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.

20. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatum.

Postquam Apostolus exclusit illa ex quibus lex videbatur esse mala et mali effectus, hic probat legem esse bonam. Et circa hoc duo facit. Primo probat bonitatem legis ex ipsa repugnantia, quae in homine invocatur ad bonum, quam lex tollere non potest; secundo ostendit per quid hujusmodi legis repugnantia tolli potest, ibi: *Infelix, etc.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositam, ibi: *Quod enim operor, etc.*; tertio infert conclusionem intentam, ibi: *Invenio igitur, etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit legis bonitatem; secundo, hominis conditionem, ibi: *Ego autem, etc.* Dicit ergo primo: Dicitur est quod lex est sancta. Et hoc dixit: *Solimus enim, nos qui sumus in divinis sapientes, quod lex, sc. vetus, spiritualis est, sc. spiritui homines concordans, Lex Domini immaculata* ¹. Vel spiritualis est, id est, a Spiritu Sancto data, qui digito Dei dicitur in scripturis. *Si in digito Dei efficitur daemonia* ². Unde dicitur Exod. xxxi: *Dedit Dominus Moysi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Lex tamen nova non soluta dicitur lex spi-

ritualis, sed lex spiritus, ut patet infra ³. Quia non solum a Spiritu Sancto est, sed Spiritus Sanctus eam imprimit cordi quod inhabitat.

Deinde cum dicit: *Ego autem carnalis sum, etc.*, ostendit conditionem hominis, et potest hoc verbum dupliciter exponi. Uno quidem modo, ut Apostolus loquatur in persona hominis in peccato existentis. Et ita hoc August. exponit in lib. lxxxiii questionum. Postea vero in lib. contra Julianum, exponit hoc, ut Apostolus intelligatur loqui in persona sua, id est, hominis sub gratia constituti. Prosequatur ergo declarando qualiter haec verba et sequentia diversimode possunt utroque modo exponi, quamvis secunda expositio melior sit. Quod ergo dicitur primo: *Ego autem, etc.*, sic intelligendum est, ut *ly ego*, pro ratione hominis intelligatur, quae est principale in homine; unde videtur unusquisque homo esse sua ratio vel suus intellectus, sicut civitas videtur esse rector civitatis, ita ut quod ille facit, civitas facere videatur. Dicitur autem homo carnalis, quia ejus ratio carnalis est, quae dicitur carnalis dupliciter. Uno modo ex eo quod subditur carni, consentiens his, ad quae caro instigat, secundum illud I. Cor. iii: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, etc.* Et hoc modo intelligitur de homine nondum per gratiam reparato. Alio modo dicitur ratio esse carnalis, ex eo quod a carne impugnatur, secundum illud Gal. v: *Caro concupiscit adversus spiritum.* Et hoc modo intelligitur esse carnalis ratio etiam hominis sub gratia constituti: utraque enim carnalitas provenit ex peccato; unde subdit, *Venundatus sub peccato.* Sed tamen notandum quod carnalitas quae importat rebellionem carnis ad spiritum, provenit ex peccato primi parentis, quia hoc pertinet ad somitum, cujus corruptio ex illo peccato derivatur. Carnalitas autem quae importat subjectionem ad carnem, provenit non solum ex peccato originali, sed etiam actuali, per quod homo obediendo concupiscentiae carnis, servum se carnis constituit; unde subdit: *Venundatus sub peccato, sc. vel primi parentis, vel proprio.* Et dicit, *Venundatus*, quia pec-

cator seipsum vendit in servum peccati, prae propria voluntatis implenda. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis* ¹.

Deinde cum dicit: *Quod enim operor, etc.*, ostendit quod proposuerat. Et primo quod lex sit spiritualis; secundo, quod homo sit carnalis, venundatus sub peccato, ibi: *Nunc autem jam non ego, etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit probationem; secundo inducit conclusionem, ibi: *Si autem quod nolo, etc.* Sumitur autem probatio ex hominis infirmitate, quam primo proponit; secundo adducit probationem, ibi: *Non autem, etc.* Infirmitas autem hominis est manifesta, et ex hoc quod operatur id quod intelligit non esse operandum; unde dicitur: *Quod enim operor, non intelligo, sc. esse operandum.* Quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo de eo qui est subjectus peccato, qui quidem in universali intelligit non esse operandum peccatum; tamen victus suggestionem daemonis, vel passionis, vel inclinatione perversi habitus, operatur illud. Et ideo dicitur operari quod intelligit non esse operandum contra conscientiam faciens; sicut ² *Servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, dignis plagis capulabit multas.* Alio modo potest intelligi de eo qui est in gratia constitutus, qui quidem operatur malum, non quidem exequendo in opere vel consentiente menti, sed solum concupiscendo secundum passionem sensibilis appetitus, et illa concupiscentia est praeter rationem et intellectum, quia praevenerit ejus iudicium, quo adveniente talis operatio impeditur. Et ideo signanter non dicit: *Intelligo non esse faciendum, sed non intelligo: quia sc. intellectu nondum deliberato, aut percipiente, talis operatio concupiscentiae insurgit. Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* ³.

Deinde cum dicit: *Non enim quod volo, etc.*, probat quod dixerat, et per divisionem, et per effectum. Per divisionem quidem ejus, quod dixit, *Quod enim operor, etc.*, sub quo duo continentur, sc. non agere bonum et agere malum, quia etiam ille qui non agit bonum, dicitur operari peccatum, peccato omissionis. Ex parte autem ejus

quod dixit, *Non intelligo*, probat per effectum; quia enim intellectus moret voluntatem, velle est effectus ejus, quod est intelligere. Dicit ergo primo quantum ad omissionem boni: *Non enim ago hoc bonum, quod volo agere.* Quod quidem uno modo potest intelligi de homine sub peccato constituto: et sic hoc quod dicit, *Ago*, est accipiendum secundum actionem completam, quae exterius opere exercetur per rationis consensum. Quod autem dicit, *Volo*, est intelligendum non quidem de voluntate completa, quae est operis praecipua, sed de voluntate quadam incompleta, qua homines in universali bonum volunt, sicut et in universali habent rectum iudicium de bono, tamen per habitum vel passionem perversam pervertitur hoc iudicium, et depravatur talis voluntas in particulari, ut non agat quod in universali intelligit agendum, et agere vellet. Secundum autem quod intelligitur de homine per gratiam reparato, econverso oportet intelligere per hoc quod dicit, *Volo*, voluntate completa perdurante in electione particularis operationis, ut per hoc quod dicit, *Ago*, intelligatur actio incompleta, quae consistit tantum in appetitu sensitivo non perveniens usque ad rationis consensum. Homo enim sub gratia constitutus, vult quidem mentem suam a pravis concupiscentiis conservare, sed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiscentiae insurgentes in appetitu sensitivo. Et simile est quod dicit Gal. v: *Ut non quaecumque vultis, illa faciatis.* Secundo quantum ad perpetrationem mali, subdit, *Sed quod odi malum, illud facio*: quod quidem si intelligatur de homine peccatore, per hoc quod dicit, *Odi*, intelligatur quoddam odium imperfectum, secundum quod omnis homo naturaliter odit malum. Per hoc autem quod dicit *Facio*, intelligatur actio perfecta per operis executionem secundum rationis consensum. Nam illud odium mali in universali, tollitur in particulari eligibili per inclinationem habitus vel passionis. Si vero intelligitur de homine sub gratia constituto, per hoc quod dicit, *Facio*, intelligitur econverso actio imperfecta, quae consistit in sola concupiscentia appetitus sensitivi.

Per hoc quod dicit, *Odi*, intelligitur odium perfectum, quo quis perseverat

(1) Psal. xviii.

(2) Luc. xi.

(3) Cap. viii.

(1) Isa. l. (2) Luc. xi. (3) Galat. v.

in detestationem mali usque ad finalem reprobationem ipsius, de quo dicitur in Ps. cxxxviii: *Perfecto odio oderam illos, sc. malos in quantum sunt peccatores. Cum leges adhuc optime custodirentur propter Omnia pontificis pietatem, et alios odio habentes malum*¹.

Deinde cum dicit: *Si autem quod nolo, etc.*, concludit ex praemissa dispositione hominis, quod lex sit bona, dicens, *Si autem quod nolo, illud facio*: quocumque dixerim modorum intelligatur, hoc ipso quod nolo malum, *Consentio legi, quoniam bona est*, in hoc quod prohibet malum, quod ego naturaliter nolo. Manifestum est enim quod inclinatio hominis secundum rationem ad volendum bonum et fugiendum malum est secundum naturam vel gratiam, et utraque est bona. Unde et lex, quae huic inclinationi consentit praecipiendo bonum et prohibendo malum, eadem ratione est bona. *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquat, etc.*²

Deinde cum dicit, *Nunc autem ego, etc.*, probat quod dixerat de conditione hominis, sc. quod sit carnalis venudatus sub peccato. Et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi: *Scio enim, etc.*; tertio concludit intentum, ibi: *Si autem quod nolo, etc.* Quod autem homo carnalis venudatus sub peccato, quasi aliquid sit servus peccati, ex hoc apparet quod ipso non agit, sed agitur a peccato. Ille enim qui est liber, ipse per seipsum agit, et non ab alio agitur. Et ideo dicit: *Dictum est quod per intellectum et voluntatem consentio legi: nunc autem dum contra legem facio, ego jam non operor illud quod facio contra legem, sed peccatum, quod in me habitat, et sic patet me esse servum peccati, in quantum peccatum, in me quasi dominium habens, operatur. Et hoc quidem recte ac faciliter potest intelligi de homine sub gratia constituto; quod enim concupiscit malum secundum appetitum sensitivum ad carnem pertinentem, non procedit ex opere rationis, sed ex inclinatione fomitis. Illud autem homo dicitur operari quod ratio operatur, quia homo est id quod est secundum rationem: unde motus concupiscentiae qui non sunt a ratione, sed a*

fomite, non operatur homo; sed fomes peccati qui hic peccatum nominatur. *Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris quae militant in membris vestris?*³ Sed de homine sub peccato constituto hoc proprie intelligi non potest, quia ejus ratio peccato consentit. Et ideo ipsemet operatur; unde dicit Augustinus et habetur in Glossa: *Multum fallitur homo, qui consentiens est concupiscentiae carnis suae: et quod illa desiderat decernens facere, et statuens putat sibi adhuc esse dicendum, Non ego operor illud.*

Potest tamen, licet extorte, exponi etiam de homine peccatore. Actio enim maxime attribuitur principali agenti, quod secundum proprietatem suam movet; non autem agenti quod movet vel agit secundum proprietatem alterius a quo movetur. Manifestum est autem, quod ratio hominis, secundum illud quod est proprium sibi, non inclinatur ad malum, sed secundum quod movetur a concupiscentia. Et ideo operatio mali quam ratio facit, prout est a concupiscentia victa, non attribuitur principaliter rationi, quae hic per hominem intelligitur, sed potius ipsi concupiscentiae vel habitui, ex quo ratio inclinatur ad malum. Dicitur autem peccatum habitare in homine, non quasi peccatum sit res aliqua, cum sit privatio boni, sed designatur permanentia hujusmodi defectus in homine.

Deinde cum dicit, *Scio enim*, probat quod peccatum habitans in homine, operetur malum quod homo facit. Et primo ponit medium ad probandum propositum; secundo illud medium manifestat, ibi: *nam velle, etc.* Probat ergo primo quod peccatum habitans in homine operetur malum quod homo facit; quae quidem probatio manifesta est secundum quod verba referuntur ad hominem sub gratia constitutum, qui est liberatus a peccato per gratiam Christi, ut supra⁴ habitum est. Quantum ergo ad eum in quo Christi gratia non habitat, nondum est liberatus a peccato. In carne autem gratia Christi non habitat, sed habitat in mente: unde infra⁵ dicitur, quod si Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter

(1) II. Mach. iii.

(2) Prov. iv.

(3) Jac. iv.

(4) Cap. vi.

(5) Cap. viii.

justificationem. Igitur adhuc in carne dominatur peccatum quod operatur concupiscentia carnis. Carnem enim hic accipit simul cum viribus sensitivis. Sic enim caro distinguitur contra spiritum, et ei repugnat, in quantum appetitus sensitivus tendit in contrarium ejus quod ratio appetit, secundum illud Gal. v: *Caro concupiscit adversus spiritum*. Dicit ergo: *Dictum est quod in me, etiam per gratiam reparato, peccatum operatur: sed intelligendum in me secundum carnem simul cum appetitu sensitivo. Scio enim per rationem et experimentum, quod bonum, sc. gratiae, quo reformatus sum, non habitat in me. Sed ne intelligatur secundum rationem, secundum modum superius positum exponit: Hoc est in carne mea*. Nam in me, id est, in corde meo, hoc bonum habitat, secundum illud Ephes. iii: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris*: Et per hoc patet, quod hoc verbum non patrocinatur Manichaeis, qui volunt carnem non esse bonam secundum naturam, et ita non esse creaturam Dei bonam, cum scriptum sit: *Omnia creatura Dei bona est*. Non enim hic Apostolus agit de bono natura, sed de bono gratiae, quo a peccato liberamur. Si vero hoc referatur ad hominem sub peccato existentem, superflue additur quod dicit, *Hoc est in carne mea*: quia in homine peccatore bonum gratiae non habitat, nec quantum ad carnem, nec quantum ad mentem, nisi forte quis extorte velit exponere hoc esse dictum, quia peccatum, quod est privatio gratiae, quodammodo a carne derivatur ad mentem.

Deinde cum dicit, *Nam velle, etc.*, manifestat quod dixerat. Et primo ex hominis facultate: secundo, ex hominis actione, quae facultatem demonstrat, ibi: *Non enim quod volo, etc.* Facultas autem hominis primo describitur quantum ad voluntatem, quae videtur in hominis esse potestate; unde dicit: *Nam velle adjacet mihi, id est, propinquum est mihi, quasi sub mea potestate existens*. Nihil enim est tam in hominis voluntate constitutum, quam hominis voluntas, ut Augustinus dicit. Secundo ponit facultatem hominis, vel potius difficultatem, quantum ad consumma-

(1) I. Tim. iv.

tionem effectus, cum subdit, *Perficere autem bonum non invenio*, sc. in mea potestate existens, secundum illud Prov. c. xvi: *Homini est preparare animum*. Et iterum: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus*. Hoc autem verbum patrocinari videtur Pelagianis, qui dicebant quod initium boni operis est ex nobis in quantum bonum volumus. Et hoc est quod videtur Apostolus dicere: *Perficere autem bonum non invenio*. Sed hunc sensum excludit Apostolus¹, dicens: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*.

Quod ergo dicit, *Velle adjacet mihi, etc.*, per gratiam jam reparato, est ex operatione divinae gratiae, per quam quidem gratiam non solum volo bonum, sed etiam aliquid boni facio, quia repugno concupiscentiae, et contra eam ago ductus spiritu, sed non invenio in mea potestate quomodo istud bonum perficiam, ut sc. totaliter concupiscentiam excludam. Et per hoc manifestatur, quod bonum gratiae non habitat in carne, quia si in carne habitaret, sicut habeo facultatem volendi bonum per gratiam habitantem in mente, ita haberem facultatem perficiendi bonum per gratiam habitantem in carne. Si vero referatur ad hominem sub peccato constitutum, sic exponi poterit, ut velle accipiatur pro voluntate incompleta, quae ex instinctu naturae in quibuscumque peccantibus est ad bonum; sed illud velle adjacet homini, id est, juxta hominem jacet, quasi inermum, nisi gratia voluntati tribuat efficaciam ad perficiendum.

Deinde cum dicit, *Non enim quod volo, etc.*, manifestat quod dixerat ex actione hominis, quae est signum et effectus facultatis humanae. Ex hoc enim apparet, quod homo non invenit perficere bonum, quia non agit bonum quod vult, sed facit malum quod non vult, et hoc quidem supra expositum est.

Deinde cum dicit, *Si autem quod nolo, etc.*, concludit illud quod supra proposuerat, dicens: *Si autem quod nolo illud facio, non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum*; et hoc etiam supra expositum est. Sed notandum est, quod ex uno et eodem medio, sc.

(2) Philipp. ii.

pter ventris tyrannidem. Neque autem dicunt quod Deus hoc fecit, ne videantur eum exsequere Deo; neque Moysen inducunt, ut non videantur Christum deprimere; sed medium ponunt dicentes: *Patres nostri manducaverunt manna*. Vel aliter. AUGUSTINUS (tract. 25). Dominus Jesus talem se dicebat ut se Moysi praeponeret: non enim est ausus Moyses de se dicere, quod daret cibum qui non perit. Attendebant itaque quanta fecisset Moyses; adhuc aliqua majora volebant fieri; quasi dicant: Tu promittis cibum qui non perit, et non talis operaris qualia Moyses. Panes hordeaceos ille non dedit, sed manna de caelo. CHRYSOSTOMUS (homilia 44). Licebat autem Domino dicere, quoniam Moyses majora miracula fecit; sed non erat tempus horum verborum nunc; sed unum erat ad quod studebat, scilicet ducere eos ad escam spirituales; unde sequitur: *Dicit ergo eis Jesus: Amen amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dedit vobis panem de caelo verum*. An non ex caelo erat manna? Qualiter igitur ex caelo dicitur? Sicut et volucres caeli dicuntur, et sicut dicitur Psal. 17: "Intonuit de caelo Dominus." Panem autem non verum vocavit illum, non quia falsum erat miraculum de manna; sed quia figura erat, non veritas. Non dixit, Non Moyses dedit, sed ego; sed pro Moysse quidem Deum, pro manna vero seipsum posuit. AUGUSTINUS (tract. 25). Quasi diceret: Illud manna hoc significabat, scilicet cibum de quo paulo ante locutus sum; et omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis; quod significatur, contemnitis. Deus enim dat panem quem significavit manna ipsum, scilicet Dominum Jesum Christum; unde sequitur: *Panis enim verus est qui de caelo descendit, et dat vitam mundo*. BEATA. Non quidem elementis, sed hominibus habitatoribus mundi. THEOPHYLACTUS. Seipsum dicit panem verum, quia principale significatum per manna est unigenitus Dei Filius, homo factus. Manna namque interpretatur, Quid est hoc? nam Judaei videntes, stupefacti, unus ad alium dicebant, Quid est hoc? Filius autem Dei factus homo ipse est potissimum admirativum manna, ita ut cuilibet contingat quaerere, Quid est hoc? Quomodo Filius Dei, filius hominis est? Quomodo ex duabus naturis

una fit persona? ALCUINUS. Qui per assumptam humanitatem descendit de caelo, et per assumptam divinitatem dat vitam mundo. THEOPHYLACTUS. Hic autem panis vita secundum naturam existens, tamquam vivi Patris Filius, proprium opus facit, quia vivificat cuncta. Sicut enim panis ex terra infirmam naturam carnis conservat, sic et Christus per spiritus operationes vivificat animam, et etiam corpus incorruptibile facit, nam per ejus resurrectionem corporalis confertur incorruptio; et ideo dicit quod dat vitam mundo. CHRYSOSTOMUS (hom. 44). Non Judaeis solum, sed orbi terrarum. Illi vero inferius adhuc inspiciebant; unde sequitur: *Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis hunc panem*. Dicente autem eo, quoniam Pater meus dat vobis panem, non dixerunt, Roga ut det, sed da nobis. AUGUSTINUS (tract. 25). Sicut enim Samaritana, cui dictum est, supra 4: *Qui biberit de hac aqua, non sitiet unquam*, secundum corpus accipiens, et carere indigentia volens, Da mihi, inquit, Domine, de hac aqua: sic et isti dicunt: Da nobis panem qui reficiat et non deficiat.

5. CHRYSOSTOMUS (hom. 44). De reliquo Dominus in mysteriorum traditionem eos inducturus est; et primo de deitate sua loquitur; unde dicitur: *Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitae*. Non enim hoc de corpore ejus dictum est; de illo enim in fine dicit: *Panis quem ego dabo caro mea est*. Sed interim de divinitate loquitur: etenim caro propter Domini Verbum panis est, quod spiritum ipsum suscipienti panis caelestis fit. THEOPHYLACTUS. Non autem dixit, *Ego sum panis* nutrimenti, sed *vita*: quia enim cuncta mortifera erant, vivificavit nos Christus per seipsum. Est autem panis non consecratae vitae, sed illius quae morte non resocatur; unde subditur: *Qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet in aeternum*. AUGUSTINUS (tract. 25). *Qui venit ad me*, hoc est qui credit in me; et quod dixit, *Non esuriet*, hoc intelligendum est, *Et non sitiet unquam*: utroque enim significatur aeterna illa satietas, ubi nulla est egestas. THEOPHYLACTUS. Vel *non sitiet neque esuriet*; id est, ad verbum Dei audiendum neque tardiosus efficietur, neque sitiet siti intellectuali: quasi non habeat aquam baptismi et sanctificationem per Spiritum

factam. AUGUSTINUS (ubi supra). Panem igitur de caelo desideratis: ante vos habetis, sed non manducatis; unde sequitur: *Sed dixi vobis quia et vidistis me et non credidistis*. ALCUINUS. Quasi dicat: Non ideo hoc dixi quod vos sciam hoc pane satianos; sed potius ad improprium vestrae incredulitatis dico, quia videtis et non creditis. CHRYSOSTOMUS (hom. 44). Vel per hoc quod dicit, *Dixi vobis*, insinuat testimonium Scripturarum, de quo, supra 5, dixerat: *Illae sunt quae testimonium perhibent de me*. Et iterum dixerat, ibid.: *Quoniam veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me*. Hoc autem quod dicit, *Quia vidistis me, signa occulte insinuat*. AUGUSTINUS (tract. 25). Sed non ideo ego populum Dei perdidit, quia vos vidistis et non credidistis; unde sequitur: *Omnes quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras*. BEATA. Absolute dicit omne, ut ostenderet plenitudinem fidelium. Hi autem sunt quos Pater dat Filio, quando per occultam inspirationem facit eos credere in Filium. ALCUINUS. Quomocumque ergo Pater traxerit ad hoc ut credat in me, veniet per fidem ad me, ut mihi jungatur; et eum qui passibus fidei et bonae operationis veniet ad me, non ejiciam foras; id est, in secreto pura conscientiae mecum morabitur, et tandem recipiam eum in aeterna beatitudine. AUGUSTINUS (tract. 25). Illud enim intus, unde non exiit foras, est magnum penetrans et dulce secretum, sine taedio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum et dolorum; de quo dicitur, Matth. 25: "Intra in gaudium domini tui." CHRYSOSTOMUS (hom. 44). Per hoc autem quod dicit, *Quod dat mihi Pater*, ostendit quoniam non contingens res est credere in Christum, neque cogitationibus humanis perficitur; sed ea quae desuper revelatione indiget, et anima devota suscipiente revelationem: unde non sunt ab accusatione erant quibus non dat Pater; indigamus enim et ea quae ex nobis est voluntate ad credendum. Per hoc autem tangit incredulitatem eorum, ostendens quoniam qui non credit ei, voluntatem transgreditur Patris. Paulus autem, 1 Corinth. 15, ait, quod ipse eos tradiderit Patri: "Cum tradiderit (inquit) Patrem Deo et Patri." Sicut igitur Pa-

ter dans non privat seipsum, sic nec Filius tradens. Dicitur autem Filius tradere, quoniam per eum ad Patrem adducimur. Et de Patre dictum est, 1 Corinth. 1: "Per quem vocati estis in societatem Filii ejus." Sic igitur qui venit ad me salvabitur: quia pro his veni, et carnem assumpsi; unde sequitur: *Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Quid dicit? Alia sunt tua, et quae illius? Ne igitur hoc aliquis suscipietur, subjungit: *Hae est autem voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam*. Per hoc autem et Filius vult, quia Filius quos vult, vivificat: supra 5. Quid est igitur quod dicit? Non aliud acturus veni quam quod Pater vult, quasi non habens divisam voluntatem a Patre: omnia enim quae Patris sunt, mea sunt. Sed hoc non dixit; sed in fine reservat; excelsa enim interim occultat. AUGUSTINUS (tract. 25). Vel aliter. Quare non ejiciat foras, subjungit dicens: *Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Propterea enim anima a Deo exiit, quia superba erat. Superbia enim ejecti sumus, humilitate regredimur. Medicus enim quando aegritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, et ipsam causam non curet, ad tempus videtur mederi, sed causa manente, morbus repetitur. Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit, et humilis factus est Filius Dei. Quid superbis, homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum: haec est enim commendatio humilitatis. *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*: superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas voluntatem Dei. HILARIUS, 3 de Trin. (post princ.). Non igitur hoc dicit quia faciat quod non vult; sed obedientiam suam sub effectu paternae voluntatis ostendit, volens ipsa voluntatem Patris explorare. AUGUSTINUS (tract. 25 in Joan.). Ideo ergo qui ad me venerit, non ejiciam eum foras, quia non veni facere voluntatem meam. Humilis veni humilitatem docere: qui ad me venit incorporatur mihi et humilis fit, quia non faciet voluntatem suam

soi Dei; et ideo non eicitur foras, quia cum superbus esset, projectus est foras, ad me enim venire non potest nisi humilis: non mittitur foras nisi superbia; qui servat humilitatem, non labitur a veritate. Quare autem ideo non eiciatur foras qui venit ad illum, quia non venit facere voluntatem suam, ostendit cum subdit: *Hæc est enim voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo.* Ipse illi datus est qui servat humilitatem. Non est voluntas in conspectu Patris, ut pereat unus de pusillis: Matth. 18. De tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit: quia " nisi fueritis sicut pusillus iste, non intrabitis in regnum caelorum: " ibid. AUGUSTINUS de Corruptione et Gratia (cap. 9). Qui ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt, etiam nondum renati, sed et nondum nati, jam filii Dei sunt et omnino perire non possunt: hi enim vere veniunt ad Christum. Ab illo ergo datur etiam perseverantia in bono usque in finem: neque enim datur nisi eis qui non peribunt: quoniam qui non perseverant peribunt. CHRYSOSTOMUS (hom. 44). Per hoc autem quod dicit, *Non perdam ex eo*, non ostendit se indigere eorum cura; sed hoc dicit propter eorum salutem. Postquam autem dixerat, *Non perdam ex eo, et non eiciam foras*, subjungit: *Sed resuscitem eum in novissimo die*: quia in resurrectione communi mali ejicientur, secundum illud Matth. 22: " Tollite eum, et eicite eum in tenebras exteriores. " Ipsi etiam perdentur, secundum illud Matth. 10: " Qui potest animam et corpus perdere in gehennam. " Ideo autem multoties resurrectionem inducit, ut non ex solis rebus presentibus judicent Dei providentiam, sed aliam expectent vitam. AUGUSTINUS (tract. 25). Videte autem quemadmodum et hic geminam illam resurrectionem designat. Qui venit ad me, modo resurget humilis factus in membris meis. Sequitur autem: *Sed resuscitabo illum in novissimo die.* Ad exponendum autem quod dixerat, *Omne quod dedit mihi Pater; et iterum quod dixerat, Non perdam ex eo*, subjungit: *Hæc est enim voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam.* Sa-

perius, cap. 5, dixit: *Qui audit verbum meum, et credit ei qui misit me; modo autem: Qui videt Filium et credit in eum.* Non dixit, *Et credit in Patrem*: hoc est enim credere in Filium, quod et in Patrem: quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso; supra, ibid.: *ut sic omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam, credendo et transeundo ad vitam, tamquam prima illa resurrectione, et quia ipsa non est sola, subjungit de secunda: Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

6. CHRYSOSTOMUS (hom. 45). Judæi existimantes se comestione carnali potiri, non turbabantur, usquequo postea dif-fisi sunt; unde dicitur: *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Videbantur quidem turbari in hoc quod dixerat eum de caelo descendisse; sed non hoc erat quod turbationem faciebat, sed hoc quod non expectabant potiri mensa corporali. Adhuc tamen eum venerantur, quia recens erat signum; et propterea non manifeste ei contradicebant, sed murmurando suam turbationem ostendebant. Quid autem murmurando dixerint subditur: *Et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic, Quia descendi de caelo? AUGUSTINUS (tract. 26). Longo autem isti erant a pane de caelo, nec eum esurire noverant: panis enim iste interioris hominis querit esurientem. CHRYSOSTOMUS (hom. 45). Manifestum est enim quoniam mirabilem ejus nondum sciverant generationem; propterea eum adhuc filium Joseph dicunt. Sed non increpantur: non enim respondit eis, Non eum filius Joseph, quia non poterant illum mirabilem partum audire. Si vero eum qui secundum carnem, non poterant manifeste audire, multo magis nec superioris ineffabilem. AUGUSTINUS (tractatu 26). Ab hominibus enim carnem assumpsit, sed non more hominum: nam Patrem habens in caelo, matrem e-legit in terra, et illic natus sine matre, et hic sine patre. Quid ergo talibus murmurantibus respondit subditur: *Respondit ergo Jesus, et dixit eis: Nolite murmurare invicem; quasi dicat, Scio quare non esuritis sic, ut istum panem non intelligatis neque queratis.**

Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit illum. Magna gratia commendatio: nemo venit nisi tractus. Quem trahat et quem non trahat; quare illum trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, et intellige; si non traheris, ora ut traharis. CHRYSOSTOMUS (hom. 45). Hic autem insiliunt Manichæi dicentes, quoniam nihil in nobis est positum. Sed hoc non quod in nobis est destruit, sed ostendit nos divino auxilio indigentes: ostendit enim hic non eum qui invitatus venit, sed eum qui multam patitur oppugnationem. AUGUSTINUS (tract. 25). Sed si inviti trahimur ad Christum, inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Sed intrare quisquam Ecclesiam potest nolens; credere non potest nisi volens: " Corde enim creditur ad justitiam. " Si ergo invitatus venit qui trahitur, non credit; si non credit, non venit: non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo; nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus: ergo voluntate traheris. Quid est autem trahi voluntate? " Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui: " Psalm. 36. Est quedam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille celestis. Porro si poeta dicere licuit: " Trahit sua quemque voluptas: " quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, justitia, sempiterna vita, quod totum Christus est? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deseritur a voluptatibus suis? Da amantem, desiderantem, ferventem, fonti æternæ patriæ suspirantem; et scit quid dicam. Sed quare voluit dicere, *Quem traxerit Pater?* Si trahendi sumus, ab illo trahamur cui dicit quedam que diligit, Cant. 1: " Trahe me post te. " Sed quid intelligi voluit advertamus. Trahit Pater ad Filium eos qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum. Deus enim Pater æqualem sibi genuit Filium: et qui cogitat, atque in fide sua sentit, ac ruminat æqualem esse Patri eum in quem credit, ipsum trahit Pater ad Filium. Arius credidit creaturam: non eum traxit Pater. Photinus dicit, Homo solum est Christus. Qui sic credit, non eum Pater trahit. Trahit Pa-

trum qui dixit, Matth. 16: " Tu es Christus Filius Dei vivi: " unde ei dictum est, ibid.: " Non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in caelis est. " Ista revelatio ipsa attractio est. Si enim qui inter delicias terrenas revelantur amantibus, trahunt, non trahet revelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem? Sed hic homines esuriunt, ibi saturabuntur; ideo subjicit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*: quasi dicat: Saturabitur eo quod et hic sitit, in resurrectione mortuorum, quoniam ego resuscitabo eum. AUGUSTINUS de quæst. novi et vet. test. (qn. 79). Vel attrahit Pater ad Filium per opera que faciebat per illum. CHRYSOSTOMUS (hom. 45). Non parva dignitas Filii, si Pater adducit; et ipse suscitatur, non dividens ad Patrem opera, sed ostendens parilitatem virtutis. Deinde ostendit modum secundum quem Pater trahit, dicens: *Scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Vides fidei dignitatem; quoniam non ab hominibus, neque per homines, sed ab ipso Deo eam debeant addiscere. Magister enim præsidet omnibus paratus existens sua tribuere, ad omnes suam doctrinam effundens. Si autem erunt omnes docibiles Dei, qualiter quidam non credunt? Quia hoc de pluribus dictum est, sive quoniam omnes qui volunt. AUGUSTINUS de prædest. Sanctorum (cap. 8). Vel aliter. Sicut integre loquimur eum de aliquo litterarum magistro qui in civitate solus est, dicimus: Omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit quicumque ibi litteras discit; ita recte dicimus, Omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. AUGUSTINUS sup. Joan. (tractatu 25). Vel aliter. Omnes regni illius homines docibiles erunt Dei, non ab hominibus audient: et si hic ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur. Strepitum verborum ingero auribus vestris, nisi revelet ille qui intus est. Quomodo ergo, o Judæi, me potestis agnoscere, quos Pater non docuit? Bona. Dicit autem pluraliter, *In Prophetis*: quia omnes Propheta uno eodemque spiritu repleti, licet diversa prophetarent, tamen ad idem tendebant: quapropter eum quovis eorum omnes